UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

1 Vtrum continentia sit virtus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72772

Visual Library

QVAESTIO CLV.

De Partibus potentialibus temperantiæ, in quatuor articulos diuiſa.

POſtea conſiderandum eſt de partibus potētialibus temperantiæ.

¶Et primò de continentia.

¶Secundò, De clementia.

¶Tertiò, De modeſtia.

¶Circa primum conſiderandū eſt de continentia, & de incontinentia.

Circa continentiam quæruntur quatuor.

¶Primò, Vtrum continentia ſit virtus.

¶Secundò, Quę ſit materia eius.

¶Tertiò, Quid ſit eius ſubiectū.

¶Quartò, De cōparatione eius ad temperantiam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum continentia ſit uirtus.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ continentia non ſit virtus. Species.n. non condiui
C ditur generi: ſed cōtinentia cōdiuiditur virtuti, vt patet per*Phil. 7.Eth. ergo cōtinētia nō eſt virtꝰ.

¶2 Præt. Nullus vtendo virtute peccat, quia ſ͠m Auguſt. in li.† de lib.arb. Virtus eſt, qua nemo male utitur: ſed aliquis continendo poteſt peccare, puta, ſi deſideret aliquod bonum facere, & ab eo ſe contineat. ergo continentia nō eſt virtus.

¶3 Præt. Nulla virtus retrahit hominem à licitis, ſed ſolum ab illicitis: ſed continentia retrahit ho-
D minem à licitis. dicit enim glo.† Gala.5. ꝙ per continentiam aliquis ſe etiam à licitis abſtinet. ergo continentia non eſt virtus.

SED CONTRA. Omnis habitus laudabilis videtur eſſe virtus: ſed continentia eſt huiuſmodi. dicit enim Andron. ꝙ continentia eſt habitus inuictus à delectatione. ergo continentia eſt virtus.

RESPON. Dicendum, ꝙ nomē cōtinētię dupliciter ſumitur à diuerſis. Quidam enim continētiā nominant, per quam aliquis ab
E omni delectatione uenerea abſtinetur. Vnde & Apoſt. ad Galat.5. continentiam caſtitati coniungit: & ſic continentiai perfecta principalis quidē eſt uirginitas, ſecundaria verò uiduitas. Vnde ſecundum hoc eadem ratio eſt de continentia, quæ de uirginitate, quam ſupra*diximus uirtutē. Alij verò dicunt continentiam eſſe, per quam aliquis reſiſtit concupiſcentijs prauis, quæ in eo ue-
A hementes exiſtunt: & hoc modo accipit Phil. continentiam * 7. Ethi. Et hoc etiam modo accipitur continentia in collationibus patrum. Hoc autem modo continentia habet aliquid de ratione uirtutis, inquātum.ſ. ratio firmata eſt cōtra paſſiones, ne ab eis deducatur: non tñ attingit ad perfectā rationē virtutis moralis, ſ͠m quam etiam appetitus ſenſitiuus ſubditur rōni ſic, vt in eo nō inſurgāt uehementes paſſiones rationi cōtrariæ. Et ideo Phil. dicit
B in*4.Ethi. ꝙ continentia non eſt virtus, ſed quædam miſta, inquātū.ſ. habet aliquid de uirtute, & in aliquo deficit à virtute. Largiꝰ tamen accipiendo nomē uirtutis pro quolibet principio laudabilium operum, poſſumus dicere continentiam eſſe uirtutem.

AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ Philo. continentiam condiuidit virtuti quantum ad hoc, in quo deficit à virtute.

AD SECVNDVM dicendum, ꝙ homo proprie eſt id, quod eſt ſe-
C cūdum rationem: & ideo ex hoc dicitur aliquis in ſeipſo ſe tenere, ꝙ tenet ſe in eo, quod conuenit rationi. Quod autem pertinet ad peruerſitatem rationis, non eſt conueniens rationi: unde ille ſolus vere continens dicitur, qui tenet ſe in eo, quod eſt ſecundū rōnem rectam, non autem in eo, quod eſt ſecundum rationē peruerſam. Rationi autē rectæ opponuntur concupiſcentię prauę, ſicut & rationi peruerſæ opponūtur cōcupiſcentiæ bonæ. Et ideo proprie & vere cōtinens eſt, qui
D perſiſtit in ratione recta, abſtinēs à concupiſcentijs prauis: non autem qui perſiſtit in ratione peruerſa, abſtinens à concupiſcentijs bonis: ſed hic magis poteſt dici obſtinatus in malo.

AD TERTIVM dicēdum, quòd gloſ. ibi loquitur de continentia ſ͠m primum modum, ſ͠m quem continentia nominatᵈ quandam uirtutem perfectam, quæ non ſolum abſtinet ab illicitis bonis, ſed etiam à quibuſdam licitis minus bonis, ut totaliter intendatur p̱
E fectioribus bonis.

ARTICVLVS II.

Vtrum materia continentiæ ſint concupiſcentiæ delectationum tactus.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ materia continentiæ non ſint concupiſcētiæ delectationum tactus. Dicit em̄ Ambroſ. in 1. * de offic. ꝙ gene-

¶ Super Quæſtionis centeſimęquinquageſimęquintæ. Articulum primum.

IN ar.1.q.155. nota duo. Primo q̄d continentiæ nomine apud Ari. & communiter apud morales intelligiť, q̄m hac ſignificatione vuntur tam ponentes continentiā non eſſe virtutē, ſed gradum, quàm ponentes non eſſe virtutem proprie, ſed imperfectum quid in genere virtutis. Vtrique enim dicunt cōtinentiam eſſe, qua reſiſtitur concupiſcētiis prauis vehementibus, infra latitudinem tamen humanam. Quod addo propter ea, quæ humanos exeunt limites, vt beſtiales paſſiones. Sed tanta eſt inter has opiniones differentia vt diſputare ſimul nequeant, ſed ſemper æquiuocatio interſit, niſi redeundo in principiū primum, puta, quòd dentur, vel non dentur tales gradus, q̄d ſuperius tactum eſt. Et nunc ideo rememoratum ſit, ut meminerint diſputantes cum Martino, ſe motis his præſuppoſitis ſibiinuicem aduerſantibus, an ſcilicet continentia ſit gradus, an ſit imperfectum quid in genere virtutis, diſputent de reliquis, niſi velint reducere ſemper quæſtionem ad principium. Secundo diligenter aduerte, quòd continentia ab authore ponitur ſub genere principij laudabilium operum: quoniam hinc habes, quòd eſt in prima ſpecie qualitatis, qui eſt habitus, vel diſpoſitio. Nam conſtat non eſſe aliter principium laudabilis operis, niſi ſicut habitus, uel diſpoſitio potentiæ eſt principium laudabilis operis. Et hac doctrina erit opus pluries, ſcilicet in articu.3. huius q. & in 3. articulo ſequentis quæſtio. & habet vtrobique difficultatem.

¶ Super Quæſtionis centeſimæquinquageſimęquintæ Articulum ſecundum.

IN arti.2. eiuſdē q. dubium ex Martino in q. de continentia occurrit dupliciter. Primo arguente, quòd cōtinentia nō determinatur ad materiam talem, ſcilicet delectationes tactꝰ, ſed reperibilis eſt in omni genere virtutis: ſecundo. ſoluente rationes Sancti Th. in hoc articulo quibus concludit continentiam proprie eſſe circa concupiſcentiam delectabilium ſecundum tactum, Arguit igitur primo ſic, in omni genere virtutis reperitur cōtinentia. ergo. Antecedens probatur. Si quis in opere iuſtitiæ patiatur impugnationes a rebus delectabilibus, puta, muneribus, &c. & vincat, talis eſt iuſtus ſecundum aliquem gradum, & non ſecūdum gradum heroicum, quia tentatio non excedit communem hominum facultatem, nec ſ͠m gradum temperantiæ, quia patitur impugnationem. ergo ſecundum gradum continentiæ. Secundo. In omni materia, in qua reperiūtur paſſiones impellentes ad perſequendū aliquid, q̄d recta ratio dictat, inuenitur continentia: ſed in omni genere, & materia virtutis reperiuntur huiuſmodi paſſiones. ergo: Maior eſt S. Tho. in hoc ar. in prin. Licet eam limitare videatur, ſed nimiū uolūtarie, ut patebit ſoluendo rationē eius. Minor eſt certa. Nā per cupiditatem pecuniæ impelliť quis ad iniuſtitiam, alius ad proditionē, alius ad fugā: tertiò, quartò, & quintò affert primum, ſ͠m, & tertium argumenta huius articuli. & ſubdit, Has rationes fere omnes ſoluit Th. per hoc, ꝙ nomē cōtinentiæ poteſt accipi communiter, vel ſtricte, in quo ineſt ab eo diſſenſio, dum tamen conflet hos uirtutū gradꝰ in oī uirtutis genere reperiri

Li.7. per totum, tom.5.

Li.4. ca.vlt. tom.5.

D.1166.

Lib.1. ca.46. in princip. tom.1.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN